

215
A. O. J. A!

EXERCITIUM ACADEMICUM

DE

E Q V O

T R O I A N O

Quam

Venia Ampliss: Facult: Philos: in
Regia ad Auram Academia,

Sub

M O D E R A M I N E

V I R I

ADMOD. REVEREN: & AMPLISS:

T O R S T A N I R U D D E N

Poëticos Prof. celeber.

Eruditorum examini modestè submittit

P E T R U S S C H E D I N G

W. Gothus.

Ad Diem 19. Decemb: Anno 1701.

loco, horisque censuetis

Emoff. Rudberg

IN

Sacram Regiam Majestatem

maximæ fidei VIRO

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO,

D^N. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ Doctori excel-
lentissimo Inclitæ Diœceseos Abdensis
EPISCOPO

EMINENTISSIMO.

Academiæ Ibidem

PRO CANCELLARIO Amplissimo
Mœcenati meo maximo.



Iu dubitavi num levissimo Huic
exercitio, Eminentissimum tuum
nomen, Reverendissime Pater,
præfigere auderem, maxime cum
certo certius sciam, tuam Reverendissimam
dignitatem, multis aliis, iisque gravissimis,

Publicoque utilissimis, possideri curis, "quæ
non patiuntur, Te ad ludos nostros descen-
dere. Summus tamen ille favor, quo, Reve-
rendissime Pater, me, ex quo primum ad al-
lam hanc Musarum sedem appuli, es am-
plexus, quandam mihi quasi necessitatem in-
junxit ut quacunque ratione, gratissimum
meum animum, memoriamque beneficio-
rum non intermorituram, niterer monstra-
re. quod cum pro temporis habitu præ-
sentu, solâ harum primitiarum humiliâ
nuncupatione fieri posse videatur, ut serena
illas aspicias fronte, & in posterum quoque
optatissimi favoris Tui aurâ, me bees, qua
par est reverentia, precibusque humilimis
rogo & contendeo. Deum summum toto pre-
cor pectore, velit Te, Reverendissime Pa-
ter quam diutissime, in sui nominis glo-
riam, Ecclesiæ suæ incrementum, rei lite-
rariæ insigne emolumentum, nobilissimæ
que familiae fulcrum & decus ingens, super-
stitem, salvum, & incolorem servare; sic
vovet.

REVERENDISSIME PATER,

Tibi Devotissimus cliens
PET. SCHEDING

Plurimum Reverendis

M^{ag.} PETRO ULLIIN,
Pastori in Ecclesia, qvæ in Globy colligitur
dudum Meritissimo, Patri meo dilectissi-
mo, qvovis filiali obseqvio, usque ad extre-
mum vitæ halitum proseqvendo.

Nec

Virus Spectatissi

Dn. NICOLAO GADDELIO
Inspectori accuratissimo, fautori optimo,

Dn. JOACHIMO GARDELING,
Redituum in territorio Halikōensi Exactori
fidelissimo, Benefactori singulari;

Dn. JOHANNI LINDSTEDMI
Inspectori tolerissimo, amico suo optimo.

ris

& Clarissimis,

Mag. HENRICO FLORINO,
Pastori in Ecclesia, qvæ Rimiſtōō est, vigi-
lantissimo, Evergetæ, & Fautori, debita
reverentia coleudo.

Non

mis & prudentissimis,

Dn. JOHANNI GÜRSIRASHL
Redituum Exactori solertissimo Nutitio li-
beralissimo,

Dn. HENRICO GARDELING,
Redituum tenitorii in Pthlis Exactori vigi-
lantissimo, benefactori benignissimo.

Dn: ANDREÆ BERGMAN.
Præfecto Paræsiarum perindustria, fautori &
amico peidilecto.

Gratia agnosco mente Pater dilectissime,
Et fautores optimi, beneficia in me lar-
giter collata, quae monent, nisi ingratus
audiam cuculus, ut levissimum bocce specimen
academicum, vobis dedicem, qua par est re-
verentia officiose rogans, velitis bocce beni-
gne suscipere, ac in posterum solita vestra bc.
volentia me amplecti. Rogabo DEum T. O. M.
velit, te, Pater Charissime, reliquosque D.
fautores Et benefactores benignissimos, in an-
nos bene multos, salvos, incolumes, omnisq;
periculi immunes conservare, sic votet.

Plur. Rever. Clariss: Et spectatiss.
vestrorum nominum.

Cultor indefessus
P E T R U S S C H E D I N G,

Ad Eximum Præstantissimumque

DN. PETRUM SCHEDING

W. Gothum, bonarum literarum studiosum:

IN Eqvo Trojano¹, in extremo fuisse
Lib. 7. referunt, teste Cicerone, sero sapiunt.
Epist. Quod proverbium, ut de Phrygibus &
fam. 16. Cumanis, populis antiquissimis, jactatur;
ita ab altiori origine derivandum est.
Nam & vetustissima tragædia Livij An-
dronici quæ inscribitur Eqvus¹ Troja-
Hugin^{nus}, illud usurpat; & ut est in fabulis,
fab. 108 si & illas buc arcessere liceat, cum A-
chivi multos per annos, Trojam frustra
oppugnassent, tandem monitu Minervæ,
Eqvum miræ magnitudinis ligneum,
sieri curarunt, cum hac inscriptione: Da-
nai Minervæ dono dant. Quem cum
Trojani in arcem statuissent, & noctu
lusu atque vino lassi, obdormissent,
Achivi in eum collecti, exierunt & por-
tarum custodibus occisis, Troja poti-
sunt. Hæc tamen cum tu Eximie SCHEDING,
erudita disputatione diligentius excu-
tias, tum eo ipso ostendis te egregie cavisse
ne sero, ut Trojani, japeres. Illi quippe,
multis acceptis cladibus, vix decimo de-

num anno, de restituenda Helena,
consultare cœpisse dicuntur. At non dix
deliberasti, an studia literarum, cultus
que ingenii tibi usui essent futura ac
ornamento: nam & ea a teneris ama
sti, & ad hanc Academiam delatus
strenue urgere non intermisisti. In hoc
& dissimilis Trojanis, quos ne clades
quidem acceptæ admonere poterant, ut
tandem saperent; Te vero, nec quæ ur
gere solet duris in rebus egestas, nec in
vicinia flagrantissimum bellum, ejusq;
hic loci, circumsonantes, & sape alio
quin remoram iniicientes strepitus, &
sapientiae studiis abstraxerant. Macte
porro isto animo ac virtute, ut quemad
modum Heroës olim, ex Equo Trojano
exitisse feruntur, urbemque cepisse; ita
& tu, consulturus plurimorum saluti & ho
nestissimus Parentibus solatio, tibi vero
decori & Ornamento futurus, brevi hinc
egrediaris domumque redeas; Vale, scrib.
p. p. Aboe 5. Decembr. 1701.

MATHIAS SVEDER.



MEMBRUM I.



Cturis de Eqvo

Troiano incumbit, ut
in primis causam i-
stius belli decentialis
notemus, qualis au-
tem illa fuit, duæ po-

tissimæ feruntur opiniones, quarum
prior est raptus Helenæ, Menelai Re-
gis Spartani uxoris, quam sententiam
amplectuntur omnes fere & Historici
& Poëtae, pro fundamento (ut pro-
babile est) habentes Poëtam græcum
excellentissimum. Fabula sic habet: Post
quam Eris Dea discordia, ceteros
Deos deasque omnes ad Nuptias Pelei
& Thetidis invitatos intellexit, se vero
neglectam solam, admodum graviter
id tulit; pomum itaque aureum per
fenestram in idomum convivatorum
immisit cum inscriptione hac:
de-
iur pulcherrimæ. Inde si placabile o-

A

dium

dium & magna lis orta inter tres Deas,
 Palladem, Junonem & Venerem, cer-
 tantes de pulchritudinis palmâ; lis ad
 Apollinem est deducta, qui cognitâ
 causa, noluit in tam invisa controver-
 sia Judicem agere: misit ergo eas ad
 Paridem Priami Trojanorum Regis fi-
 lium pecora pascentem ad Idam mon-
 tem, qui sententiam inter eas latus
 foret; Paris vero sive Alexander ne-
 glectis donis Junonis, offerentis sum-
 mam imperii totius Afiz, & Palladis
 promittentis eum fore sapientem præ
 sapientibus totius Græciæ; judicavit
 speciem Veneris meliorem, quod pol-
 licita est ei formosissimam omnium
 Græcarum fæminarum: Atque sic hac
 pollicitatione Veneris in Græciam se
 contulit Paris, Spartamqve petiit, ubi
 habendas imperii tum tenebat Mene-
 laus, in cuius domum hospitio est re-
 ceptus: Absente vero tunc temporis
 Menelao marito Helenæ, ubi Paris He-
 lenam præter cæteras Græcas fæminas
 viderat, admiranda esse specie & pul-
 chritudine, eam gerditè dilexit, ac in-
dignis-

dignissimū ausus facinus eam cum opī
bus secum abstulit. Menelaus mari-
tus, ceterique Græciæ Principes, qui
ipsum cognatione vel affinitate con-
tingebant, hoc nunciato & cognito,
vires suas, Trojanis ob nefandum Ae-
lexandri facinus bellum illaturi con-
trahunt, contractis, naves petunt,
Troiamque veniunt, ut & hanc inju-
riam, & se suaque ab ulteriore injuria
vindicarent. Posterior sententia paucio-
res habet fautores. Author ejus est
Dion Chrysostomus Cocceianus, qui re-
ste Ruperto, tanea gratia pollebat, ut
Traianus Imperator compellarit ipsum
his verbis: Amo te, ut me ipsum. Is
in oratione quadam sua, omnia quæ
Homerus ejusque sectatores scripse-
runt de bello Troiano refutat atque
refellit, dicens, raptum Helena cau-
sam belli non fuisse, quia legitimo con-
jugio Helena Paridi nupta fuit, & que-
niam ipsius Dionis verba in Dispu-
tatione quadam lacerata, nescio ubi
habita vidimus, ideoque illa hue ap-
ponere lubet. Is ergo, (Alexandrum

intelligit) multis cum opibus & magno
 apparatu, us ad sponsalia prosector, &
 forme insuper elegancia se commen-
 dans, colloquium instruit cum Tynda-
 reo & fratribus Helena, & de regno
 Priami, divitiarum amplitudine, cate-
 raque potentia, & quod successio in re-
 gno ad se pertinere, orationem habuit.
 & paulo post. Et sic Alexander Helenam
 jure obtinuit, posquam in sententiam
 suam Parentes & fratres inflexisset. Sed
 causa istius mali secundum eum fuit
 mera invidia & metus crescentis Tro-
 ianorum potentiae. Ita enim Ruperrus,
 qui Dioni assentit, dicit : Post bæc sub-
 jungis, ut Græci Principes ab Arrida
 concitati ex mera erga Alexandrum in-
 vidia (quod is nempe præ illis omni-
 bus illam quam expetiverant consecu-
 tus est) & crescentis Trojanorum po-
 tentia metu, bellum Trojanis fecerint.
 Ad hanc suam sententiam stabilien-
 dam adducit narrationem sacerdotis
 ejusdam Ægyptii, ex antiquis Ægyptio-
 rum monumentis repetitam. Sic Dion:
 cir. o 120 accepit a Sacerdoce quodam
 Egyp-

Ægyptio, probe ad unguem commemo-
rante, & cum in multis aliis Grecos de-
ridente, ne de plerisque rebus nihil ve-
ri scientes, sum potissimum hac coniectu-
ra uscente, quod persuasum habeant,
Troiam ab Agamemnonne captam, & He-
lenam Menelao nuptam, alexandri a-
more correptam fuisse.

MEMBRUM II.

Qvalis, qvalis autem fuit causa i-
stius belli, grave Graci Troianis
intulerunt bellum, qvod per de-
cem annorum spatium gestum est: sed
cum acerrimè ab utraque parte satis
diu & qvidem varia fortuna pugna-
tum erat ad ultimum Eqvum ædifica-
runt ligneum seu dureum, de quo
inter Doctos varie disputatur. Par-
enim existimat per illum debere intel-
ligi Scæam portam, per quam noctu
intromissi esse nt Græci ab Antenore ubi
extrinsecus caput eqvi pictum erat, &
inde Poetas occasionem fabulandi de
ingenti isto Eqvo adeptos: Sed me-
ram coniecturam, Authoremq; huius

A 5

asser-

assertionis Daretēm Phrygiūm esse,
 existimat Rupertus, dum mentionem
 facit Dictys Cretensis, quorum non
 parem autoritatem esse dicit, & paulo
 post: Quæ nos habemus spuria sunt.
 Adhuc: Non est ætatis aureæ, sed bar-
 barus & iudicio plane destitutus; Ju-
 ventutem prouinde cauere iubemus, ne
 in hac literarum luce tenebras proha-
 tum eat, & ad asserendam rerum me-
 moriam stramineos advocet testes. Et
 licet concesserimus insigne Scæp portæ
 tuisse caput eqvi pictum, nemo tamen
 nobis persuadere potis est, istud a Græ-
 cis, Trojanis inimicissimis, ibi pictum,
 minus portam ab iisdem exstructam,
 sed quod hunc ædificarent Eqvum,
 ostendit Virg: Lib. II. Aeneid, Vers. 15.

*Instar montis Eqvum divina Palladii arte
 Edificare.*

Et Dict: Cretensis Lib. V. Cap. VI. Ca-
 verum, inquit, donum Minervæ fatale
 Trojanis esse, Eqvum ligno fabrefactum
 forma ingenti. Nonnulli volunt istum
 Eqvum significare equitatum Græcorū,
 a quo

a quo victi sunt Troiani. Sed quo fundamento haec nititur sententia, videre non possumus. Nam licet hic Eqvus valde fuerit magnus, ut dicunt, non tamen illo uno contentus esse potuit Græcorum eqvitarus, sed pluribus indigebat, eisqve non ligneis, qvalis fuit hic: & insuper ad bene compositum agmen eqvitarus, non reqviritur eqvus aliquis ligneus, sed eqvites cum suis eqvis. Alii iterum intelligunt per hunc Eqvum, montem Hippium, qvoniam iwwos Græcia est eqvus, luce tamen meridiana est clarus, montem istum a loco suo nunquam fuisse motum, aut in urbem tractum, sed semper immobilem stetisse, Troianos vero Eqvum hunc in urbem suam traxisse affirmat Virg. Lib. II. Æneid: vers. 237.

Scandit fatalis machina muros.

Fata armis.

& Vers. 245.

Et monstrum infelix sacrata festimue arce:

Nec desunt qui asserunt Eqvum istum fuisse classem, qua Troiam advecti sunt Græci, ut Plautus in Rudent. Nempe equo

equo ligneo per vias caruleas estis ad-
 vecti. Non negamus quin mytholo-
 gice soleant Docti per equos explica-
 re classem aliquam, uti Excellentiss:
 Olaus Rudbeckius in sua Atlant: Cap.
 36. fabulam Homeri de equis Erich-
 tonii, vel, ut ipsi Rudbeckio placet,
 Erici, exponit de classe ipsius. Alia ea-
 men est ratio: Nam hic Equus non in
 Gracia sed ad Troiam est sacrificatus,
 ut clarissime ostendit Dicit: lib: V. Cap:
 VIII. Interim, ait, apud naves uti Hele-
 no placuerat, Equus tabulatis exstrui-
 tur per Epeum fabriacatorem ejus ope-
 ris. Et si fautores hujus sententiae ali-
 quos viderint sine navibus, per mare
 iter fecisse, nobis tamen non persua-
 debunt, Gracos Troiam sine navibus
 venisse, & ibi in medio fortissimorum
 & potentissimorum suorum hostium
 classem ædificare, qua Graciā repe-
 tituri forent. Quidam dicunt fuisse
 monstrum aliquod Arietis seu machi-
 na bellicæ, uti Plinius lib. 7. Histor:
 Cap: 36. Equum, inquit, qui nunc Ari-
 et appellatur, in muralibus machinis Epe-
 num

num ad Troiam invenisse dicunt. Sed si idem fuisset Equus hic & Aries, nescimus quare nomen mutatum est, & que enim, facile est nominare? *xp̄jōr* Arietem ac *īw̄w̄ov* eqvum. Arietem describit Joseph: lib: III. de bello judaico. *Immensa*, dicit, est materia malo navis assimilis cuius summum gravi ferro solidatum est, arietis effigie fabrefacto, unde nomen accepit. Dependet a funibus medius ex trabe alia, velut ex trusina undique patis fulta, retrorsum a magna virorum multitudine repulsus, in fronte prominente ferro mænia percudit. Hæc huic Equo non conveniunt. Nam non a funibus dependebat sed pedes habuit, neque malo navis assimilis, sed ad formam equi factus erat, & deinde docet Vitruvius lib. X. Arctit: Cap: 19. Arietem non bello Troiano ab Epeo, sed a Carthaginensibus, in oppugnatione Gadium inventum esse. Sic enim scribit Vitruvius: *Primum ad oppugnationes Aries sic inventus memoratur esse.* Carthaginenses ad Gades oppugnadas castra posuerunt. Cum

autem castellum ante ceperunt, demoliri
 sunt conati: postea quam non habuerunt
 ad demolitionem ferramenta, sumse-
 runt lignum idque manibus sustinentes,
 capiteque ejus summum murum conti-
 menter pulsantes, summos ordines la-
 pidum dejiciebant, & ita gradatim ex
 ordine totam communionem dissiparunt.
 Sed nec eum in finem Troia-
 num equum esse fabricatum hactenus
 legimus, & est etiamnum sub judice lis,
 an ut dolus, an ut donarium Minervæ
 existeret. Magna pars eorum qui Tro-
 iam captam esse asserunt, affirmant Græ-
 cos non adeo virtute militum suorum,
 quam potius dolo & fraude eam ex-
 pugnasse, scilicet Eqvo liqueo, quem
 in urbem traxerint Troiani plane frau-
 dis ignari. Nam cum Antenor in castris
 Græcorum proditionem composuisset,
 ut Priamum & totam ejus Domum e-
 verteret, assumisse dicitur secum vi-
 ros nobiliores & excellentiores Græ-
 corum pacem facturos, quos in ur-
 bem venientes, hospitioque exce-
 ptos, instruit atque docet, in fatis el-
 se

se Troiam pon posse capi, Palladio ser-
vato, qvod Palladium e coelo lapsum
esse credunt tempore Ili Regis, ideo
Ovid: lib. VI. Fast: vers. 211.

Mænia Dardanides, nuper nova feceras Ilus,
Ilus adhuc Asia dives habebat opes
Creditur armiferæ, signum cœlestè, Minerva
Urbis in Iliacæ desiluisse juga.

Hoc ut auferrent monuit. Ulysses mo-
rem ei gerens, opera ipsius Antenoris
illud rapit, inque castra Græcorum
ferri ac servari curat. Deinde conve-
niunt Legati Magnates Troianorum
in loco publico, magnam auri & ar-
genti vim una cum Helena ejusque
opibus flagitantes, qvas conditiones
cum Troiæsi in primis respuerunt,
recipiunt se legati in castra sua. Lis
vero per Antenorem ita decisa est, ut
Dardanii in reconciliationem darent
bina millia talentorum auri & argenti,
ac Helenam traderent: Græci vero
ligneum equum in usitatæ magnitudi-
nis in honorem Palladis ædificarent
urbique donarent. Itaque hoc inter
eos ita composito, Jure iurando con-
fir-

firmarunt se Græci servaturos, quod
cum Antenore convenerant: ideo pe-
coniam à Troianis adepti Græci, quid
quid nobilioris juventutis in Græca mi-
litia erat, cavitatibus hujus equi inclu-
dunt, ipsi classem instruunt, quasi post
gloriosam obrentam pacem Græciam
repetituri essent, navibus itaque post
insulam Tenedum secedunt, ibique se
abscondunt. sic Virg: Lib. II. Aeneid v.23.

*Est in conspectu Tenedos notissima fama
Insula & vers. 24.*

*Huc se proiecti deserio in littore conaunt.
Nos abiisse rati & vento petuisse Mycenæ,
Abientes vero reliquerunt Sinonem
Juvenem audacissimum, callidum &
& ad fraudem acutum, qui Troianis
sele obtulit, prætendens Græcos cum
destinasse aræ se v. crudelitatem eorum
industria sua effugere potuisse. Is a Re-
ge Priamo receptus longa oratione
persuaderet Troianis, ut intra mœnia
equum ducant. Illi nihil doli subesse
credentes adorti sunt, sed quoniam
major erat quam portis stantibus in
urbem trahi posset, portas dejiciebant,*

quibus dirutis, magna cum latitia cum
 inducunt. Quo inducto, singuli ob-
 naestam pacem lati vino epulisque se
 onerant, quod ubi Simon persen-
 scit, laxatis claustris Equi, evocavit claus-
 los simulque dedi signum ut reverterent-
 tur a Tenedo Graci, qui sine mora re-
 versi sine ulla difficultate, portis iam
 dirutis, urbem invadunt, eam vastant
 & homines trucidant. Atque tali mo-
 do Ilium seu Troiam captam & dele-
 tam esse dicunt. Posterior sententia,
 videlicet Dionis, statuens eum factum
 esse, non ut per eum caperetur urbs,
 sed ut donarium Minervæ existeret
 quo facilius pacem impetrarent Græ-
 ci. Hac sententia quoniam optimè ex
 Ruperto percipi potest, id est que ejus
 verba inferre placet. Tertio, ait, expo-
 nit sacerdos, ut Græci per desperationem
 Chersonesum transfesarint; & cum
 nova utriusq; auxilia advenissent, Tro-
 janis quiaem Ecbiopum & Amazonum
 copia Græcis vero Neoptolemi & Phi-
 lotete manus, acerrimum & luctuo-
 sum prælium intercessisse coeterum; in
 quo

quo a parte Trojanorum Memnon, Peto-
thesilea & Paris; a parte Gracorum
Ajax & Antilochus ceciderunt: Unde
consecuta mox sit dialysis & fædus
Gracorum cum Trojanis, quibus bi con-
ditionibus vellent initum, dum & Gre-
ci viribus exhausti, & ad incitas res-
tagti, ulero pacem exspectunt: Et Troja-
ni eorum laborum & casuum pertuli, eam
non denegant, presertim cum & dona-
rium Equi lignei Minerva Troiane con-
seclarunt, ut quasi trophyum victorie
Trojanorum exhibaret.

Atque sic hinc leviter tactis, de In-
ventore seu Fabricatore, materia &
forma ut pauca dicamus nostrum erit.
Inventor & Fabricator dicitur Epeus
Ideo Virg: lib: II. Aneid: vers: 264.

Doli fabricator Epeus.

Materia constabat lignea, vocarur e-
nimir Equus ligneus seu dureus, dōgu est
lignum; ideo Lucret:

Nec clam duratus Trojanis Pergama partu.
Inflammasset Equus nocturnus Grajungenarum.
Sed ut variæ lunt arbores, idco illam
no.

nominare placet. Virg: docet nos eum
fabricatum fuisse ab Abiete, & Pino, sic
enim canit lib: II. Aeneid: Vers. 16.

Sed tamen intexant abiere costas,
& Vers: 258,

¶ Pineae furtim

Lexat claustra Sinon.

Qua forma sit exstructus, nunc etiam
paucissimis ostensuri erimus. Eqvus
vocatur, ergo fuit ad formam equi
factus. Qvod fuit it ipsi caput conclu-
dimus ex collo ipsius quod habuit. Virg:
lib: II. Aeneid: Vers. 236.

Et stupea vincula collo

Intendunt.

Qvod dederunt illi costas ostendit
Virg. Lib. II. Aeneid: vers. 16.

Sed tamen intexunt abiete costas.

Nec defuere ipsi latera & alvus, quod
etiam Virg. eodem lib. docet & vers. 50.

*Sic fatus validis ingentem viribus bastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorxit.*

De pedibus eius quoque loquitur Virg.
Lib. cit. vers. 235.

Pedibusque rotarum

Subjiciunt lapsus.

In

In hoc tamen dissentunt Virg. & Dictys quod Virgilius tribuat Troianis impositionem rotarum. Dictys vero Græcis. Sic Dictys: *Ima quæ sub pedibus erant, rotarum interpositis suspenderat, quod perinde fuerit quis rotas impoluerit, nobis autem videretur sententia* Dictys verior; Nam procul omni dubio Græci eum sic adficarunt ut in urbem trahi posset, & quoniam caruit articulis, ideo rotas impoluerunt, quod & ianuit Dictys dum dicit: *quo siliceo aetractione mores facilior foret.* Ex his notatis membris facile est concidere eum non reliquis destitutum fuisse, sed ad formam Equi viventis esse fabricatum, quod Palæph; Dictys & alii innuunt, dum eum Equum nominant.

MEMBRUM III.

Injecta superius mentio est duplicitis sententiæ de equi hujus usu, Trojæque excidio. Non igitur fore arbitror præter rem si argumenta utriusque paulo intimius fuerimus scrutati. Illi qui Troiam à Græcis captam esse asserunt

pro fundamento habent Poesin Homerij,
 cujus sicut & ceterorum Poetarum
 proprium est fabulari & facta narrare.
 Bochartus enim eum inter Poetas ha-
 bendum non esse existimat, qui fa-
 bulari nescit. Multi equidem negant,
 Homerum primum scriptorem belli
 Troiani existisse, sed multos ante
 eum historiam de eodem conscripsisse,
 inter quos Dictyn et Daretem nume-
 rant. De Darete, iudicium Ruperti
 audivimus. Dictym existimat idem Ru-
 pert: vixisse temporibus Heraclii im-
 peratoris. Hos igitur Authores suspe-
 ctos merito habent eruditi. Gvil: Xy-
 lander in Georg. Cedren: Annot. pag.
 67. Ego, ait, ut non negem Dictym at-
 que etiam Daretem historiam belli Tro-
 iani composuisse, ita mihi nunquam
 persuaderi patiar, ut qui hodie istis ei-
 tulis circumferuntur, pro genuinis
 aut fide dignis habeam. Ad hanc qua-
 stionem etiam in genere respondit
 Rupertus. Dicam tibi, inquit, quod
 sentio, & quæ mea mens est: Hæc si-
 delicit, nullum librum apud Gracos Ho-

meri poëmate vetustiorem esse. Ad fir-
mandam hanc suam sententiam addu-
cit Joseph; lib. I. Contra Appion: Con-
stat autem quod apud Græcos, nullum
scriptum reperiatur Homeri poëmate
vetustius. Et licet aliquod scriptum
reperiatur Homeri vetustius, est tamen
& illud a Græcis relictum, quorum fi-
des valde fuit suspecta. Nec præter
meritum est quod ab omni ætate repu-
tati sint nimii fictionum ac novitatis
studiosi, neglecta historiæ cura & rerum
antiquarum notitia: quam ob causam
eos accusat Egyptius Sacerdos, semper
pueros nunquam senes esse affirmans;
in quorum animo nulla erat ex vetu-
statis revelatione vera opinio, nulla
cana scientia. ideo Jos. etiam contra
Appion: Omnia, inquit, Græcorum no-
va, & beri nuperque nata cognovi, id
est fabricam civitatum, & inventiones
artium, conscriptionemque legum;
rebus cunctis apud eos recentior est
historiæ conscribendæ ratio. Ubi vero
historias conscripserunt, vana multa imo
falsa in eis comprehensa sunt. Quod af-
fir-

firmat Jos. dicendo. *Quod unusquisque opinatus est hoc studuit depromere;* unde invicem etiam se libri arguunt & valde contraria de rebus iisdem non piget eos dicere. Rupertus quoque idem asserit pag: 130. *Græcisne quibus ludus fuit falsa immiscere veris?* Et quoniam verba Juvenalis de iisdem clara sunt, ideo nec illa omittenda sunt, sic ergo dicit:

*Et quidquid Græcia mendax
Audet in Historia*

Audiamus etiam Isocratem, ipsum hominem Græcum, ingenuum tamen confidentem in extingibile odium Græcorum in Asianos, de quo sic in Panegyrico: *Asianis ne pro acceptis quidem beneficiis gratiam habent, a deo immortalem in eos iram gerunt.* & post pauca: *Natura sic eos odimus, ut nullis fabulis perinde gaudemus, ac Trojanis & Persicis, e quibus clades eorum cognoscere licet.* & iterum: *Atque etiam Homeris pœsin propterea in majori esse pretio arbitror, quod eos, qui Barbaros oppugnarunt, præclaris laudibus exultit.* &c.

Neque solum in Historiis suspecta fuit
 Græca fides, sed etiam in commerciis
 & contractibus, unde proverbium
 Mercari græca fide, quod svecice est
 Borga och aldrig betala. Itaque cum
 græca fides adeo est suspecta, multo fa-
 vorabilior evadit sententia Ægyptii,
 non de suis, vel suæ patriæ, sed aliorum
 rebus testantis, atqve ideo nullam ha-
 bentis causam, cur uni magis ac alteri
 faveret; Græcos vero de suis rebus e-
 gisse, dum historiam de bello Troiano
 consignarunt, in qua conscribenda,
 tantum videtur affectus in patriam va-
 luisse, ut posthabita & neglecta veri-
 tate, adscripserint suis victoriæ, licet
 succubuerint. idem deprehendimus in
 Romanis. Videlicet cum Ælius Lam-
 pridius scribit Alexandrum Severum
 Imperatorem viciisse Persas. Verba ejus
 sic habent. *Magno igitur apparatu in-*
de in Persas profectus Artaxerxem Re-
gem potentissimum vicit & paulo post.
Fuso denique fugatoque tanto Rege, qui
cum septingentis elefantis, falcatis-
que mille octingentis curribus ad bel-
lam

lum venerat, equitum multis millib us
 statim Antiochiam redit, & de præda
 quam Persis diripuit, suum ditavit ex-
 ercitum: cum & Tribunos ea quæ per-
 vicos diripuerant, & Duces & ipsos mi-
 lites babere iussisset. Tumque primum
 Persæ servi apud Romanos fuerunt; di-
 cit Rupertus se in orientalium hbris
 obsevasse, eundem Imperatorem tot
 stragibus affectum fuisse, ut Persis ce-
 deret, Syriana, Cœle'ryia, Chaldæa,
 parte Græcia & Palestina ad Arabiam
 usque. Et si Romani, alioquin veritatis
 studiosi id fecerint, quid mirum Græ-
 cos idem fecisse, quorum scripta fabu-
 lis impleta sunt, ut historia Troiana
 satis superque ostendit. Ideo etiam di-
 cit Rupertus. *Quid ergo miramur, si*
audaciores in remotioribus a memoria
sua Græcos deprehendimus: Græcos
quos ad fabulas scribendas æstus quidam
abripuit. Et sane quivis attenus le-
 ctor, si verum profiteri velit, nobis
 affirmet, neminem scriptorum Græ-
 corum fuisse, qui de bello Troiano
 non prodigiosum aliquod & incredi-

bile retulerit. Et in eis quæ retulerunt, non convenient, quod facile patet ex eo quod de raptu Helenæ dissentiant, & inter se discrepant, quoniam deportata sit Helena an in Ægyptum, an Troiam.

Nec desunt qui docent illam in Ægyptū esse vestam, uti Herodotus, qui sic habet. Teucros cum eadem narrasse, deinde iuratos negasse se Helenam habere atque opes de quibus arguerentur. Sed ea in Ægypto omnia esse neque se jure reatum sustinere earum rerum, quas Proteus Ægyptius Rex teneret. Grecos, quum se ab illis derideri arbitrarentur ita obse disse Ilium donec expugnaverint. Urbe capta, quum Helena non apareret, eandem, orationem quam prius audirent Graeci: ita demum habita prioribus verbis fide ipsum Menelaum ad Proteum mittunt.

In hisce quod modo dicunt eam Troiam, modo in Ægyptum esse delatam, videntur sibi ipsi contradicere, aequa sic propria sua verba in dubium vocare. Neque solum dissentus est quoniam

nam sit deportata, sed etiam de ipso
 raptu. Sunt qui dicunt Alexandrum
 magnis pollicitationibus ac blanditiis
 seduxisse Helenam ut se sequeretur.
 Alii iterum narrant Parida, eam per
 vim rapuisse, quod ut oppidani vidis-
 sent, Helenam scilicet raptam esse, diu
 pugnavere cum Alexandro Helenam eri-
 pere non valuere. Alii iterum aliter,
 quorum relationes hic recensere ni-
 mis foret prolixum. Et forte fabulæ
 hujus de raptu, potuit esse origo, illud
 ipsum quod de hac Helenâ à Theseo
 raptâ habet Plutarchus in Theseo.
 At vero inquit propiora ac pluribus
 nixa testibus hoc modo sese habent; vene-
 runt Theseus & Pirithous spartam, puer-
 la, quæ in templo Diane Orithyæ salta-
 bat raptâ fugam cepere. Cum missi ad
 insectandos illos non ultra Tegeam essent
 profecti, & illi pervenissent in tutum,
 atque Peloponesum transmisissent pacis
 sunt inter se, ut cui sors obtigisset,
 is eam haberet uxorem, & alteri ad
 querendas nuptias alias presto esset.
 His legibus missa sorte, obvenit illa The-

seo, & virginem haud dum vubilē Aphid-
 nās deportavit, matremque ei ad jun-
 ctam amico suo Aphidno tradidit, pree-
 piens ut eas servaret, Et rem tegeret
 apud alios; probabile inquam esset si di-
 xerimus Poëtas Græcos ansam inde
 nactos de altero raptu Helenæ fabu-
 landi, & alios iterum a Poëtis de-
 promisse, ac ut historiam veram re-
 tulisse. Hæc discrepancy de raptu
 Helenæ, non parum fidem illorum
 reddit suspectam. Sed satis de hisce,
 nunc attingere lubet calamitatem,
 quæ unumq[ue]mque reducem Græcum
 excepit, quod sane satis firmum & va-
 lidum videri potest argumentum, Græ-
 cos rem malè gessisse. Nam si victores
 exstisset Græci, uxores, libri, co-
 gnati eorum, aliquique procul omni du-
 bio, magna lætitia, magno gaudio &
 magna reverentia, suos charos tanta
 gloria, a tam diutino & tam gravi bel-
 lo redeuntes excepissent; & si qui fuis-
 sent rebelles, potuissent eqvidem vi-
 tores sua potentia & gloria, eos a pro-
 posito deterrere. Jam vero, testibus

Græ-

Græcis, Diomedes aditu prohibetur: Agamemnon Rex Regum ab uxore & eius Adultero occiditur: Teucer Sasamine pellitur: Neoptolemus primum exigitur; deinde universi ex Pelopis stirpe regnum Peleponesi amittunt: Menelaus in Ægypto moritur: Ulysses inter Italiam, Siciliam, & extra notum Græcis orbem diu multumque iactatus, tandem redux a filio necatur. De Neoptolemo seu Pyrrho sic habet Sustinus lib. XVII. *Post Pyrrhus Achillis filius, amisso per absentiam (Troianis temporibus) paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidae primo postea Epirote dicti sunt.* Et paulo post. *Brevique post tempore Delphis insidiis Orestæ filii Agamemnonis, inter altaria Dei interriit.* Vice vero versa, quoniam res Trojanorum potentia & gloria multo clariores extiterunt, signum & argumentum esse potest non infirmum, eos victores evasisse. Nam referebat Ægyptius, ut testatur Rupert: *Priamum vitæ finisse omnium felicissimū, nisi quantum agritudinis attulerunt neces pluriū filiorum.*

rum. Ipsum Hectorem postquam plurimos
 regnarit annos & multos Asiae pro-
 vincias imperio suo adiunxerit, in
 matura senecta, fatis concessisse;
 relieto successore Scamandro filio.
 Hujus Scamandi imperium & poten-
 tiam agnoscunt ipsi Graeci in scriptis
 suis, Strabo lib. XIII. Palæscepsis in
 eam partem, quæ nunc scepsis, transla-
 ta est a Scamandrio Hectoris, & Ascanio
 Aeneæ filio; ac duæ hæ familiæ diu scepsis
 regnasse traduntur. Eusebius Num: 863.
 Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis
 Antenoris filiis, Heleno sibi subsidium
 ferente. Sed quoniam in scriptis Gra-
 corum deprehendimus relatum omnes
 liberos Hectoris imperfectos esse, imo
 parvulum istum Astyanacta post Tro-
 iam captam occisum esse asserunt Gra-
 ci. ideo Seneca in Troade: Missus e
 muris puer. & post: Princeps ut altis
 cecidit e muris puer. Itaque quomodo
 hæc intelligenda sunt, quod modo
 affirmant Hectoridas deletos esse? Et
 modo illorum agnoscunt imperium?
 non intelligimus, nisi velint Graeci eos
 post

post mortem vivis imperasse? Apparet ergo eriam hoc loco in constantia historiæ Græcæ. Neque solum magna fuit Trojanorum potentia & gloria in patria, sed etiam extra eam. Refert enim Aegyptius (verba sunt Rup.) ab Hectori Æneam. cum classe & numerosa manu, beatissimam Europe regionem Italiam occupasse. Helenum in medium profectum Græciam, Molosorum regnum & Epiri, proxime Thessaliam obtinuisse. Antenorem ipsum regnandi cupidinem, exarsisse & in Europam trajecisse: opimam circa Hadriam regionem sui juris fecisse. Æneam in Italiam vectum fuisse & ibi regnum condidisse Latinum, communis est consensus.

Genus unde latinum

Albaniq; Patres, atque altæ mœnia Rome. Quamvis non sint contemnendæ rationes, quibus Bochartus negat Æneam unquam in Italia fuisse. Sed si videntur evaserunt Græci, quis sibi persuadet, eos passos fuisse, Troianos jam victos (quos, teste Ilocrate, ceu superius est observatum, natura sic odio

Odio habuerunt, ut nullis fabulis perinde gaudeant ac Trojanis & Persicis e qvibus clades eorum cognoscere liceat) in Troia regnasse ? aut tot & tantas extruxisse urbes ? Num ne potius eos ulterius persecuti fuissent & solo æquassent ? ne recuperatis viribus illatam ulciscentur injuriam. Aut qvis credat inquit Rupert. *victos deleta patria plus per orbem terrarum potuisse, quam viatores?* His itaque & aliis argumentis qvæ hue faciunt & sententiam Dionis corroborant putamus, non sine causa qvæstionem illam laborare, An Troia capta sit & vel ideo maximè, qvod apud Ægyptios erat fides publica annalium, temporum, & gesta rerum. qvod vindicat Jos. dicendo : Apud Ægyptios atque Chaldæos & Phœnicas, sicut ipsi fatentur, res gestæ antiquissimam & permanentem habent memoriam. Nam multum providerunt, ut nihil tacitum relinquatur ; sed omnia in annales a viris sapientissimis referuntur. Fatemur ergo, quod nobis non vero

vero ab simile uideatur, Eqvum Troianum non ut Dolum sed ut Donarium Minervæ Troianæ , quo facilius pacem impetrarent Græci , exstructum atque fabricatum fuisse.

Hæc erant, quæ pro re natâ super hoc Equo licuit commentari , nec restare aliud uidetur , quam ut moneam præbuisse eundem allegoriis non inelegantibus locum. nam nonnulli non incongrue per illum exponunt Senatus vel Parliamenta , & in ea sententia videtur Cicero esse in Orat. II. Phil: Cap. 13. *In hujus inquit me consilii societatem, tanquam in Equum Trojanum eum Principibus concludis.* Nam Græci, quo consilio, & qua mente eum adfiscarunt, non divulgariunt, sed callidè celarunt. Si etiam per eum depingerentur Academiæ & Gymnasia, non inconvenienter id fieri ducimus. Græci enim non uno saltu in eum pervenerunt, sed procul dubio scalis usi, atque ita per gradus eum ingressi sunt. Isti inclusi fuere fortiores Græcorum , ita

è Scholis egrediuntur, qui olim reip: omnibus usibus cum successu infer-
vient.

Ad hujus Eqvi similitudinem, qui viris repletus erat, appellantur veteres porcos cupediis fartos, *Porcos Troia- nos*. Solet etiam hic *Eqvus Proverbii* in- star pro insidiis occultis usurpari. Cicer: pro *Muræna Cap: 37. Intus, Intus inquam est Eqvus Troianus, a quo nunquam, me consule, dormientes opprimemini.*

S. D. G.



JUVENI

Morū elegantia & Literarum cultura
valde conspicuo

DN. PETRO SCHEDINGH.

De
Eqvo Trojano
Egregie differenti



Erdocte, SCHEDING, retegis quod
longior atas
Omnia consumens, oculuit ci-
neri:
In lucem sat agit specimen cum pro-
mere tersum

Ingenii vegeti docta Minerva sui;
Scilicet egregie Trojanum pingis Equum, arg-
- Iliaci acta Ducis fictaque fata doles.
Non frustra talem Pallas te excepit alium
- Sed bene te nudo fovit amica sinu.
Gratulor ex animo tibimet de his, mi intime,
cœptis,
Utque brevi referas præmia digna precor!

In tessera illibata amicitia
Applaudebat

Mente quam calamo prolixior

- JOH. NEHLMAN,
Ost. Goth.

Ic tua , mi SCHEDING, Musis &
Apolline dextro
Pagina Grajorum lignea dona
refert ;

Grater ut, & voveam fiant tibi mitia fata.
Sponit sequatur honos, sponit sequan-
tur opes

A N D. W E L D W I S T.

P Arnassi cupiunt altum qui scandere culmen
His veniunt queris dura ferenda viris,
Tempora curcta sacris debent impendere
musis,

Atque oculos raro vincit amica quies,
Ut quondam patriæ fiant apti usibus , utque
Sic recte Pindi culmen adire queant.

Hæc meditatum Te , SCHEDING mi Sympatriota
Castalidum populus , Pieridumque probat.

Hæc quoque de bello Trojano florida charta

Eaocit id factum sedulitate tua :

Debetur merito sic Laus tibi , suavis amice,

Ingens : quam mea dat parva Talia quoq;
Nœctribi, quod superest, tā pulcros gratuler ausus,
Ex animoque Tibi, prospera cuncta precor.

Hæc, vili ut ut Minervâ con-
terraneo tuo perdilecto
deproperavit

AMBERNUS KINDELIUS

Viro Iuveni Politissimo

Doctissimoque

P E T R O . S C H E D I N G

West,- Gotho,

De

T R O I A N O E Q V O

Erudite disputanti.

Iliacum dum pandis Equum, mala dona
Minervæ,
Ingenii pandis pignora pulcra tui.
Gratantur Charites, doctus gratatur Apollo,
Serta Tuo Capiti, Laurea sesta, parans.

JOH. LINDER.
Carlst. Wermi.

QVæ fatalis erat Trojanis ma-
china muris
Ipsa tibi, SCHEADING, machi-
nalaudis erit.

Ne nibil scriberet, hac
apposuit

MAGNUS NORSTEDT.